



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

XXX. Vt nullus in ecclesia co[n]uiuetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

pomeridiano tempore defunctorum, siue episcoporum seu clericorum, siue ceterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, iam pransi inueniantur.

XXX.

Afr. cap. 9.  
Dist. 49.  
Nulli episcopi in ec.

Vt<sup>m</sup> nulli episcopi vel clerici in ecclesia conuiuentur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiusmodi conuiujs, quantum fieri potest, prohibeantur.

XXXI.

Afr. cap. 10.  
16. q. 7. Pœnitentibus secundum.

Vt pœnitentibus secundum peccatorum differentiam episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

XXXII.

Afr. cap. 10.  
16. q. qu. 9.  
Presbyter inconsulto episcopo.

Vt presbyter, inconsulto episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente episcopo, & necessitate cogente. Cuiuscumque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersa ecclesia nouerit, ante absidem manus ei imponatur.

XXXIII.

Afr. cap. 11.

Vt virgines sacræ, cum parentibus, a quibus custodiebantur, priuatæ fuerint, episcopi prouidentia, vel presbyteri, vbi episcopus absens est, in monasterio virginum, vel grauioribus feminis commendentur, vt simul habitantes, inuicem se custodiant, ne passim vagantes, ecclesiæ lædant estimationem.

XXXIV.

Afr. cap. 12.  
De conf.  
dist. 4. Ægrotantes.  
Afr. cap. 12.  
De conf.  
dist. 1. Scenicis atque.

Vt ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.